



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XI. Quomodo infidelibus omnibus detur auxilium sufficiens ad fidem, &
salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

sæpe moraliter resurgere non possint propter nimiam difficultatem ex praua illorum dispositione subortam, quâ commune auxilium, licet in rigore sufficiat ad opus, moralem tamen difficultatem non aufert, quæ interdum vocatur impossibilitas vel moraliter, vel secundum Dei præscientiam, & quia in illa difficultate, & impossibilitate sæpe derelinquuntur à Deo, ideo dicuntur in Scriptura deserti, & obdurati, vt in cap. sequenti generalius dicemus. Quædam verò Augustini loca difficilia, quia omnibus statibus peccatorum communia esse possunt, in capite ultimo huius libri tractabuntur.

CAPVT XI.

Quomodo infidelibus omnibus detur auxilium sufficiens ad fidem, & salutem.

SYpponimus generalem regulam cap. 8. constitutam etiam in omnibus adultis, & infidelibus locum habere, quia illi etiam sub illis omnibus quos Deus saluare voluit, sub illisque omnibus, pro quibus Paulus orare obsecrabat, comprehenduntur. Imò Principes & Reges, pro quibus in particulari orationem postulabat, eo tempore infideles erant, & præterea Scripturæ locutiones sæpe sunt ita vniuersales, vt omnes comprehendant, vt Ioan. 1. *Iluminati omnes homines.* Apocalyp. 3. *Ece sto ad ostium, & pulso si quis, &c.* & huc etiam spectat generalis vocatio Christi Matth. 11. *Venite ad me omnes, &c.* interdum verò loquitur specialiter de impiis & infidelibus. Et Paulus Act. 14. cum dixisset Deum reliquisse gentes ingredi vias suas, statim conatur ostendere non fuisse relictas sine sufficienti auxilio. Et hoc etiam supponit ad Rom. 1. cum dixit gentes fuisse inexcusabiles. Item Isai. 65. *Expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Et hoc etiam probat vniuersalitatem redemptionis Christi, iuxta illud 1. Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* nam in mundo etiam infideles comprehenduntur, & ideo ipse præcepit Apostolis: *Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ, quia omnibus sine exceptione media salutis præparabat.*

Et ad eundem loquuntur de generali largitione gratiæ quantum est ex parte Dei, Patres, quos pariter in dicto lib. 4. de Prædest. cap. 4. allegauimus, pariter in superioribus ostendendo dari reprobis auxilium verè sufficiens; quibus addi possunt Dionys. cap. 9. de cœlest. Hierarch. dicens radium diuini luminis paratum semper esse, & omnibus patere ad participandum, & ad cæcitatem erroris expellendam, Et Nazianz. qui orat. 21. de laudib. Athanas. in principio Deum confert soli qui mundum illuminat vniuersum, quam comparationem eleganter etiam ponderat Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. & August. lib. 1. de Gen. contra Mar. cap. 3. & lib. 1. retract. cap. 10. Cyrillus etiam & Chrysost. in Ioannem, ita exponunt verba illa, *illuminat omnem hominem, &c.* Chrysostomus item homil. 26. ad Hebr. Denique dicit paratum esse ad omnes iuandos, & idem habet latè Prosp. serm. toto lib. 2. de vocat. gent. præsertim cap. 25. 26. & vlt. denique rationes supra factæ cap. 8. hoc confirmant.

Hæc igitur veritate supposita, quærimus quomodo hæc sufficiens gratia omnibus infidelibus conferatur. Possimus autem infideles in tres ordines distinguere, quidam sunt, quibus non solum prædicata fuit fides, sed etiam interdum donata, ab illa tamen postea per apostasiam, & hæresin ceciderunt. Alij quibus fides prædicata sufficienter est,

illam tamen amplecti noluerunt. Alij qui vel nihil de Evangelica fide audierunt, vel certè numquam fuit illis sufficienter proposita. De primis facilis est responsio; dicendum est enim huiusmodi homines antequam fidem perderent, ita recepisse auxilium sufficiens ad perseverandum in fide, sicut accipiunt iusti auxilium sufficiens ad perseverandum in gratia, licet postea illam amittant. Itemque dicimus si tantum fidem mortuam habuerunt, ita accepisse auxilium sufficiens ad comparandam vitam eius, seu charitatem & iustitiâ, sicut alij peccatores, qui semper in fide perseverant, illud accipiunt. Et eadē proportionalis ratio & omnia ibi dicta possunt hic facile applicari, neque in hoc est noua difficultas. Postquam autem isti facti sunt infideles, credendum est non omnino priuari auxilio sufficienti, vt respiciant, iuxta proximè dicta in cap. præcedenti, quia semper manent viatores & resurgere possunt. Quia verò initium iustificationis à fide sumendum est, & illi fide carent, auxilium sufficiens eorum incipit à vocatione ad relinquendum errorem, & ad veram fidem redeundum. Hanc verò vocationem recipere credendum est temporibus opportunis, (sicuti diximus de vocatione ad penitentiam,) quando occurrit aliquid, quod memoriam antiquæ fidei, & prioris lapsus exciter, vel quando necessitas confitendi, aux exercendi fidem occurrit, vel aliis similibus, præter alias occasiones, quas Deus pro sua liberali gratia ad huiusmodi homines excitandos obseruat, vel procurat. Addo insuper præter vocationem ad fidem, posse illis dari auxilia ad aliquâ opera bona, vt in sequenti membro dicam; est enim quoad hoc eadem ratio.

De secundo item genere infidelium, qui non ignorant inculpabiliter Euangelium, quia illis sufficienter propositum est, non est explicatu difficile, quando & quomodo datur eis auxilium sufficiens enter est ad salutem. Nam in illis etiam primum auxilium prædicatum, necessarium est ad credendum: hoc autem illis datum est, quando illis fuit proposita fides; quia, vt diximus, Deus non negat internam vocationem, quando externam concedit; ergo sicut exterius vocati sunt, ita etiam est credendum interius fuisse sufficienter excitatos, vel vt possent immediatè vel credere, vel saltem vt aliquam diligentiam adhibere possent ad perfectius audiendum, vel considerandum, vt ita possent paulatim ad voluntatem credendi peruenire, nec enim necesse est, vt hoc auxilium sufficiens à principio sit integrum, & completum respectu deliberati consensu fidei, vel penitentiae, vel alterius similis actus, quasi vltimatè intenti; sed satis est quod sit sufficiens ad aliquid agendum, quod si fiat, dabitur vterius auxilium, & sic consequenter donec ad proximum, seu integrum perueniatur: vnde si primus gratiæ impulsus in vacuum recipiatur, quia homo deest gratiæ Dei, contingere potest, vt Deus vterius in motibus gratiæ non progrediatur.

Dices: quod si homo, qui semel prædicata est fides, tunc resistit, & postea iterum non occurrit occasio audiendi fidem, numquid ille homo manet in fide, & reliquo vitæ suæ tempore sufficienti auxilio gratiæ destitutus? Videtur enim id sequi ex declaratione facta, quia tali homini non datur hoc auxilium, nisi per fidei prædicationem: hoc autem videtur absurdum, tum quia alias auxilium sufficiens multis hominibus solum daretur semel, vel iterum in vita, quod non potest dici auxilium absolute sufficiens ad salutem, tum etiam, quia alias talis homo post illam primam resistantiam, & ratione illius maneret quodammodo extra statum, vel saltem extra possibilitatem salutis. Respondeo, si in huiusmodi homine maneat aliqua memoria prioris vocationis, & prædicationis fidei, per illam poterit iterum,

Lapsi à fide
gratiam suf-
ficientem
receperunt.

Item illi
quibus fi-
des suffi-
cienter
prædicata,
sed furdis.

3.
Instauratur, &
instantiæ
respondetur.

ostendi: cum etiam, quia loquitur de gratia, cum qua sunt inexcusabiles qui non cooperantur: ad hoc autem sola vocatio exterior non sufficit. Præterea Fulgentius epist. 7. ad Venant. totus est in hac veritate demonstranda, eamque optimis scripturæ testimoniis & rationibus confirmat, & licet ex instituto de fidelibus peccatoribus loqui videatur, sapie ad omnes tam iustos, quam peccatores sermonem extendit, & specialiter cap. 8. ait, *Sicut medico nostro nullus est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vultu nec in aliquo tempore celestis potest deficere medicina.* quæ verba non video, quomodo possint de sola gratia externa, vel interna intelligi, & dicamus omnia esse ficta, & solum in externa specie apparentia, quæ in tota illa epist. Fulg. scribit, quod nefas esset explicari.

Hic accedit Paulus Orosius in Apolog. dicens, *Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia cui specialia ob credendum fidem gratie dona largitur: verum etiam vniuersis in hoc mundo gentibus propter longanimitatem suam clementiam subministrare, & postea explicat huius gratiæ modum, & itatim referam, est etiam illustre testimonium Ambrosij exponens illud Psalm. 118. in Octionario 8. Misericordia Domini plena est terra. quibus verbis coniungit illa Matth. 5. Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & ait, *Quomodo misericordia Domini plena est terra, nisi per passionem Domini nostri Iesu Christi.* & infra, *Plena est terra misericordia Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum, super omnes solem oriri iubet, & quidem hic sol quotidie super omnes oritur: mysticus autem sol iustitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit, adiungit quod ad rem maxime spectat, Si quis autem non credit in Christo, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non est ortus omnibus. & infra super omnes pluuia est, & hoc diuinæ misericordiæ deputatur, quia pluit super iustos & iniustos. Omnes denique Patres qui dicunt Deum omnes illuminare, & quamuis multi Christum non agnoscant, per illos stare quominus illuminentur, apertissime idem sentiunt, tam de his infidelibus, quibus post Christum Euangelium prædicatum non est, quam de illis, qui ante Christi aduentum in gentilibus erroribus vixerunt, quos Patres supra retulimus, & ibi rationem huius veritatis attulimus.**

Modus autem explicandi hoc auxilium & respondendi difficultatibus, duplex esse potest, vnus est Deum præparasse sufficienter toti vniuerso auxilia gratiæ, & pro omnibus & singulis hominibus, nullum excludendo, quantum est ex se, vocatam fuisse tamen ut hæc auxilia ad singulos homines, ministerio aliorum hominum peruenirent. Sicut videmus id fecisse in lege Euangelica mittendo Apostolos in vniuersum mundum ad prædicandum, & ante Euangelicam in lege veteri per Moysen, vel ante hunc per Abraham illi genti sufficientia fidei remedia prouidit, & prius in toto tempore legis naturæ veram fidem à primis parentibus tradidit, eamque filiis suis communicari ac sufficienter proponi, & à parentibus ad filios derivari voluit, & mediante fide cætera, etiam salutis remedia vnoquoque tempore, opportuna vel necessaria omnibus tradidit, quia pro omnibus indifferenter illa instituit. Ita ergo ex parte Dei omnia parata sunt sufficientia auxilia. Quod verò in multis contingat, ut talia remedia, vel prædicatio fidei ad illos non perueniat accidentarium est, & à Deo non est procuratum, sed præuium, & permixtum, quæ quidem permissio nec iniusta est, quia Deus nulli debet maiora auxilia. Imò, ut Augustinus sapienter tradit, cum homines essent in originali peccato, hæc censeri potest iusta illius poena

in his, qui illam patiuntur, licet aliis fuerit ex misericordia Dei remissa. Neque etiam esset illa permissio contra voluntatem antecedentem Dei saluandi omnes homines, quia ex parte Dei parata est salus omnibus, & hoc solum ad illam pertinet voluntatem. Nec denique est illa permissio contra debitum & sapientem Dei prouidentiam, quia non tenetur Deus mutare, vel agere communem cursum causarum generalium in vnoquoque ordine, ne in illo aliqua monstra, vel defectus sequantur.

Vnde iuxta hunc dicendi modum non erit necessarium, ut infideli in syluis educato, vel vniuersis Gentilibus, quibus vera fides nunquam per homines prædicata est, Deus, vel per se interius, vel per Angelos aliquo extra ordinario modo fidem reuelet, quocumque modo viuant, quia ex vi generalis voluntatis, aut prouidentie, non cogitur Deus miraculoso modo homines saluare, vel ad fidem excitare, sed tantum per ordinarias causas, quæ si desint, Deus (ut sic dicam) functus est officio suo vniuersalis prouisoris. Et hunc modum dicendi videtur sequi Gregor. in 1. d. 46. quæst. ad 3. vbi multum inclinat in eam sententiam, quod iustis non dantur auxilia antecedentia sufficientia ad salutem, illum autem modum generalis sufficientie tribuit scoto & Ochamo.

Possumus autem hunc dicendi modum persuadere primò ex Paulo Act. 17. vbi de antiquis gentibus loquens, ait, *tempora huius ignorantie despicies prior ille Deus, nunc annunciat hominibus, &c. despicies enim dixit, quia non peculiari modo illis prouidit, vnde cap. 14. eandem prouidentiam Dei circa eosdem fideles explicando, per causas tantum generales id facit, dicens, qui in præteritis generationibus diuisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio reliquit semetipsum beneficiens de celo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & letitia corda nostra.* Vbi indicat solum per hos exteriores effectus illas nationes ad sui cognitionem excitasse, non autem per aliquam reuelationem internam, vel extraordinariam illas docuisse: & in Epist. ad Rom. in principio, quodammodo de antiquis gentibus loquitur. In cap. autem 10. agens de tempore legis gratiæ, in quo Deus nouo quodammodo voluit homines ad fidem vocare, non aliter hanc gratiam ad omnes peruenisse declarat, nisi qui a omnes audierunt, vtique quantum est ex parte Dei, quia in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Secundò item declaratur ex causa paruulorum, multi enim paruuli damnantur, quia illis applicari non potuit habitualis fides, seu remedium originatis peccati siue quia in lucem natæ non potuerunt, siue quia sunt de parentibus Gentilibus, & omnino ignorantibus tale remedium, siue quia vniuersaliter licet de fidelibus nati fuerint, contingit deesse necessaria ad Baptismum, ita ut ante mortem illis applicari non potuerit. Et nihilominus illos etiam saluare voluit Deus, eisque censetur auxilia sufficientia dedisse in causis vniuersalibus gratiæ, vel in suis parentibus, ut ait Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. alias 23. nec oportet, ut per miraculosa, vel extraordinaria remedia Deus illis prouideat, quid ergo mirum, quod idem contingat in multis adultis? Aliud non dissimile exemplum est in his peccatoribus, qui in perpetuam amentiam incidunt, in qua incapaces sunt auxiliorum sufficientium, quibus iustificari possint, quæ in se ipsis recipiant, & nihilominus ex parte Dei non denegantur illis sufficientia remedia. Nam Deus ex se illa dare paratus est, & aliud impedimentum

268 *Lib. 4. de iur. nat.*
accidentarium est, ex generali causarum ordine
proueniens Deo uidente, & permittente. Ita ergo
de cæteris impedimentis, [vel defectibus contin-
gentibus in aliis hominibus dici potest,

Hic modus non repugnat si simpliciter diuinæ bonitati, nec iniustitiam continet, secundum 8. August.

Secundò, quia licèt verum sit, potuisse Deum sine iniustitia negare absolutè omnibus, vel aliquibus hominibus lapsis hoc auxilium, non esset tamen iustum imputare carentibus tali auxilio propriam damnationem, nisi tantùm ratione peccati originalis, nam propria non possent illis imputari, si non haberent auxilium sufficiens ad vitandam illam, iuxta doctrinam suprà traditam ex Augustino de corrept. & grat. cap. 11. & 12. imputantur autem & propter illa damnantur, vt est certum ex Paulo ad Rom. 1. dicente, gentes fuisse inexcusabiles, & thesaurizasse super iram in die iræ: ergo necesse est, vt in ipsis & proximè recipiant auxilia; ad non committenda propria peccata personalia. Ergo mediante tali auxilio recipiunt aliquo modo in se auxilium sufficiens ad salutem. Nam omnis adultus qui habet auxilium sufficiens ad non peccandum, habet etiam ad salutem consequendam, quæ ratio magis ex sequentibus declarabitur.

Cōfirmatur hic modus ex S. Pro-
spero.

Tertio tandem hoc confirmatur ex Patribus, qui hanc generalem gratiæ communicationem quoad adultos, non solum in causis extrinsecis & vniuersalibus, sed etiam in internis auxiliis & inspirationibus constituunt. Prosper enim lib. 2. de vocatione. cap. 26. aliàs 9. cū descripsisset externas & internas gratias, quibus Deus homines vocat, subiungit, *Que operatio per innumeros modos siue occultis, siue manifestis omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia: quodd autem a multis suscipitur, gratia est diuina, & voluntatis humane.* Et in eodem sensu in cap. 4. aliàs 1. de reprobis dixerat, qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti, sed nunquam sunt manifesti, oculisque beneficiis abdicati, & cap. 5. aliàs 2. cū dixisset, tam in populo Dei, quā in gentibus neminem fuisse iustificatum, nisi per spiritum gratiæ, subiunxit statim, *que est partior antea, atque occultior fuit, nullis tamen seculis senegauit, virtute vna, quantitate diuersa, consilio incommutabili, operi multi formis, & apertissimè* cap. 23. aliàs 8. *Circamatiorem* (inquit) *præter generalem gratiam patiens atque occultius omnium hominum corda pulsantem, &c.* Eadem sententiam indicant Fulgentius, Paulus Oros. & alij Patres suprà allegati, & in eadem fuisse Augustinum, infrà ostendemus.

10. Alter igitur modus explicandi sufficientiam

hanc, est, quam indicant verba illa Ioannis 1. *Erax lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* quæ verba (vsuprà dixi) de illuminatione interna & supernaturali Patres intelligunt, & omnibus hominibus adultis generaliter quantum est ex parte Dei communicari sentiunt. Iuxta quam interpretationem, etiam illis infidelibus, quibus Euangelium, vel fides per homines prædicata non est, Deus prouidet modum, quo illuminentur, & excitentur sufficienter ad fidem, si per eos non steterit, vel extraordinario modo prouidendo, vt ad illos Prædicatores mittantur, vel ministerio Angelorum eos docendo, & vel per seipsum illos interius illuminando, & vocando, vt sic etiam in omnibus hominibus illud Apocalypf. 3. locum habeat, *Ego sto ad ostium, & pulso.* quam sententiam non obscure indicat Prosper locis citatis, & specialiter cap. 23. etiam de paruulis ait, *ad aliam peruenire gratie partem, que vniuersis semper est inpenitus auita.* & addit, *qua vtique si bene eorum videntur parentis, etiam ipsi per eosdem inueniantur.* Ergo supponit adultis parentibus in se ipsis datam esse sufficientem gratiam, qua bene vti potuissent, & per eam non solum saluti propriæ, sed etiam infantium prouideret. Vnde sicut parentibus imputatur solummodo desertio, ita multo magis vnicuique adulto imputandum est, quod fidei lumine carperit, & ita Dionys. cap. 9. de celest. Hierar. dixit. *Non recte inquit gubernatoribus Angelis, si gentes aliæ ad salutem Deorum cultum deuotæ sunt, sed illis ipsi qui motibus propriis a recto calle, quo ad Deum ascendere possunt, sua sponte deuiant.* Fuisent ergo per Angelos instructi, nisi ipsi impedimentum posuissent, vnde infrà dicit. *Dignis luminis pelagus paratum semper est, & paræ omnibus ad participandum.* & infrà, *nunquam perferunt aliæ aliqui Dij, sed vnus illud omnium, ac singulari præmiuium, ad quod sanè obsequentes debebant Angeli præfati singulis gentibus.* Eodemque modo Irenæus lib. 4. cap. 71. ait Deum dedisse omnibus liberum arbitrium, cui vim non infert; seu bona (inquit) sententia adest illi semper vtique ex parte Dei illuminantis & inspirantis illam, hoc est enim quod subiungit, & propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus: possit autem in hominum potestate, electione, &c. & idem sentiunt alij Patres suprà relati vbi cumque de hoc generali gratiæ communicatione loquuntur.

Ratione potest hoc breuiter ostendi a sufficienti-
partium enumeratione, quia etiam hos infideles
nunquam exercitijs vocatus ad fidem per mini-
sterium hominum Deus vult saluare, quantum
in ipso est, non obstante originali peccatori imò
ab hoc ipso peccato vult illos eripere propter Chri-
stum; ergo aliquo modo illis contulit sufficientia
media: at non contulit in solis causis vniuersalibus,
nec solum per alios homines, vt ostensum est; ergo
necesse est, vt illis in seipsis auxilium hoc sufficiens
conferat, vel proximè, vel remotè, vel saltem in
eorum potestate illud constituat, vt si contingat
illud non recipere, reuera per illos stet, & non per
Deum: nec per solam naturalem aliquam im-
potentiam id eueniat. quomodo autem hoc intelli-
gendum sit, & qualiter difficultatibus in con-
trarium occurrentibus fit satisfaci-
endum, in sequenti capite ex-
plicabimus.